Q. D. B. V.

De

MAGIA DÆMONIACA

DISQUISITIO PHYSICA,

quam

In Illustri VVittenberga

PRÆSIDE

M. JOHANNE VVERGER Lubec.

Publicæ exponit συζητήσει.

NICOLAUS SCHMIDT Lubec.

Anno 1657. Sept. XXX.


In auditorio minori. Horis pomeridianis.

WITTEBERGÆ,
Literis OELSCHLEGELIANIS.



Περαύλιον.

MUltum sanè interest, novisse, quid distent æra lupinis, & quomodo arcana naturæ differant ab operibus Satanicis. Mirandum certè, irrepsisse multorum animis illam opinionem, ut, quæ magiæ naturalis ope, id est, ex viribus naturæ peraguntur, ea sphæræ diabolicæ adjudicent: contrà verò illa, quæ unicè dæmonem causam agnoscunt, viribus naturalibus adscribant. Sic imperitum vulgus nequit adduci, ut credat, fimum columbinum, etiam gelu intensissimo, posse tecta domosq; incendere naturaliter: posse Mahumetis feretrum ferreum hærere in medio aere suspensum. Docti autem, quiq; rerum naturalium scientiâ sunt instructi, rident vana hæc vulgi commenta, causasq; horum in ipsa natura investigant. Noverunt, in magnete latere vim, quâ attrahit ferrum; noverunt, fimum columbinum abundare igniculis, qui, dum resistunt hosti, frigori, congregantur, donec in flammam erumpant. Sic contrà non excedere vires naturæ autumat plebs, quando per unguentum armarium vulneratus, vel per multa millaria absens pristinæ sanitati restituitur. Sic verbis, ligaturis &c. inesse putat vim naturalem morbos vel inferendi vel auferendi, vel res furto surreptas recuperandi. Sed putat! Nos diabolica talia proclamamus. Ipsi Ethnici, quorum animi densissimis errorum tenebris erant involuti, verticem quasi consecuti erant in magia dæmoniaca, cujus varias species videsis ap. Meisn. philos. sobr. part. 2. Nos vires nostri ingenii circa præsentem materiam periclitabimur, visuri, quomodo dæmoniaca Dæmoni, naturalia causis naturalibus vendicare possimus. Tu, gloriosissime Deus, nostris adsis conatibus!



THESIS.

Magia Dæmoniaca ſuas habet ſpecies.

§. 1.



Uid ſit Magia Dæmoniaca, partim ex ipsâ appellatione, partim ex oppoſito ejus, magia naturali ſatis ſuperque liquet. Nempè eſt privatio habitus, quem in mancipiis ſuis ſupplere conatur Dæmon. Horrendum enim eſt dictu, quoſdam homines eò malitiæ procedere, ut auxilium diabolicum implorare in quibuſdam non vereantur. Sic quidam ſpiritibus utuntur familiaribus, quos vitris, thecis, annulis, cryſtallis, aliisque ergaſtulis includunt, ut ope artis hujus dæmoniacæ maximam ſibi acquirant ſcientiam, imò rerum omnium peritiſſimi fiant. Quid? quod ulterius progrediantur, & ſæpè admiranda opera ope Satanicâ producant, quod proh dolor, non ſine magno detrimento experiri mortales ſæpius coguntur. Ut cum varias cient tempeſtates, jumentis damnum inferunt, fruges in agris lædunt, imò infinita alia præſtant. Non autem per ſe & directè magiæ dæmoniacæ tractationem hîc ſuſcipimus, cum tantùm reductivè pertineat ad forum & campum phyſicum, ſed indirectè tantùm, prout opponitur privativè magiæ noſtræ naturali: Oppoſita namque juxta ſe poſita magis magisque eluceſcunt. Accedit, quod vulgus ſæpius, quæ vi Satanicâ peraguntur, ſphæræ phyſicæ

eſſe

esse existimet. Physicus itaque naturalia à dæmoniacis, vera & legitima â spuriis & falsis discernere debet. Sic quando corpora redduntur inconspicua, quando homines ictus & tela absque ullâ noxâ & detrimento excipiunt, id unicè magiæ dæmoniacæ erit adjudicandum.

Magia divinatoria.

§. 2.

Ad primam hujus Magiæ classem reducimus divinatoriam, quæ est rerum abditarum ope dæmonis parta cognitio. Notanter autem addimus verba *ope dæmonis*. His enim distinguitur præsens divinatio â divinatione naturali, quando ex sedulâ causarum Physicarum observatione effectus futuros quodammodo prævidemus & prædicimus. Sic Meteorologi & Astrologi eclipses, tempestates, præscire optimè possunt. Vident enim nubium dispositionem, hinc pro varietate harum cælum vel udum vel sudum prænuntiant; Prævident certò temporis puncto futuram interpositionem lunæ cum terra, item solis cum terra, hinc solarem & lunarem Ecclipsin prænuntiare possunt. Estq; illa divinatoria magia rursus duplex, vel *subtilis* vel *crassa*. Respectu illius Diabolus se transfigurat in angelum lucis, respectu hujus est spiritus tenebrarum. Ad priorem pertinent oracula gentilium, quando in rebus dubiis suos consulebant Deastros, qui nonnunquam vera prædicebant, nonnunquam etiam dubiis verbis sua implicabant responsa. Verum quidem est, dæmonem futurorum notitiam posse haberi: experientissimus enim est Physicus, novit exactè connexionem causæ cum effecto, novit stellarum in hæc inferiora influentiam, novit totius cæli cum sublunaribus amicitiam & societatem. At quæ non supponunt causas tales naturales, novisse neutiquam potest. Hinc dubia illa responsa profert, ut tutiùs lateat, famamq; afferat suam, quomodocunq; etiam res velit cadere. Huc spectat, quando homines literati sub nomine spiritus familiaris

cum Diabolo occultè rem habent, qui ipſos in percipiendis rerum qualitatibus, in cognoſcendis diſciplinis Philoſophicis mirificè inſtruit, quiq; ipſis, quæ in diverſis regionibus, lociſq; remotisſimis fiunt, revelat & manifeſtat. Elegantisſimè totum negotium de ſpiritibus familiaribus perſtrinxit *B. Meiſn. Phil. ſobr. part. 2. ſect. 2. p m. 420. 41.* ubi modum quoq; uberiùs deſcripſit, quando ſpiritus tales alliciuntur. Huc ſpectant ἱεροσκοπία id eſt, extiſpicina, quæ erat conſideratio inteſtinorum in hoſtiis immolandis, ex quibus vel de Numinis irato vel benevolo animo certiores reddebantur homines: ὀρνιθομαντεία, id eſt, aruſpicina, quando ex avium cantu, volatu mira prænunciabant. Hinc Virgilius. *Sæpè ſiniſtra cavâ prædixit ab Ilice cornix.* Γαιομαντεία, quando ex terræ motibus, ſciſſura, voragine, reliquiſq; impresſionibus futura præmonſtrabant. Plures divinandi modos adducere pagellæ ratio vetat, infiniti illi fuêre, Conferatur *Excell. Dn. Sperling. Inſtit. Phyſ. lib. 2. p. 369. B. Meiſn. in citato loco & Peucerus in libello ſuo de divinat*: Ad poſteriorem pertinent νεκρομαντεία, quando manes & animæ mortuorum vel per certa verba, vel per adjurationes ex inferno evocari putabantur, ut res futuras annunciarent. Cujus abominandæ magiæ exemplum in ſacris deprehendimus 2. Reg 28. ubi Pythoniſſa Samuelem produxit, ut ſtatum Saulis futurum prædiceret. Λεκανομαντεία; quando aureas & argenteas laminas in pelvim aqua repletam imponebant, poſtea certis verbis pronunciatis, dæmon evocabatur, mox ſonitus tenuis audiebatur, qui erat ſignum adventantis Diaboli: ὑδρομαντεία, κρυσταλλομαντεία, κοσκινομαντεία &c.

Magia præſtigiatoria.

§. 3.

Eſt operum admirandorum, ſed apparentium auxilio diaboli productio, Tota namq; res præſtigioſa eſt, & glaucoma oculis adſpectantium objicitur, quicquid etiam producatur.

Sic

Sic Erfordiæ Monachus quidam currum fæno adimpletum unà cum equis currum trahentibus devoravit uno vel altero rictu, magnâ hominum copiâ præsente, mox rusticus extra urbem currum suum, equos & fænum invenit: Nempè potuit Satan modo celerrimo objectum verum removere, & aliò transportare, cum sit πολυδαίμων, dolisq; instructissimus. Triplici enim potissimum ratione magia talis præstigiatoria fieri solet, vel objectum verum removendo, vel objectum falsum ponendo & deniq; sensus hominum pervertendo. Huc spectat λυκανθρωπία, quando homines in lupos converti posse putantur, quam multi firmissimè tenent, non tantum per Livoniam & Lapponiam, quibus in locis dæmon sæpius tales præstigiatorias actiones exercet, sed etiam per nostram Saxoniam. Hinc ruri degentes istis duodecim diebus natalitia Christi proximè insequentibus domus suas claudunt, & januæ crucis figuram inscribunt, existimantes, istos λυκανθρώπους isto tempore per agros oberrare, in pecora irruere, damnumq; hominibus inferre. Nos non erimus operosi in demonstrandâ hujus conversionis impossibilitate, cum antehac peculiari quadam disputatione figmentum hoc repudiaverimus. Ex modo, quo fiat illa transmutatio, satis superq; liquebit futilitas totius negotii, imò ἀδυναμία. Describitur modus hic â Peucero, nempè quod primitus congregentur illa diaboli mancipia, post animæ eorum egressæ è propriis domiciliis in lupina involent corpora, & ab iisdem præstituto tempore circumferantur, Tandem verò reuniantur cum pristinis suis corporibus. At quilibet videt, ècstasi quadam ope Satanica corripi istos homines, sensusq; eorum perverti penitus, ut suas animas migrasse in lupina corpora certò certiùs sibi imaginentur. Quid enim illa animæ abreptio & reunitio cum pristino domicilio aliud infert quam veram resurrectionem, quæ Satanicæ activitatis sphæram longissimè transcendit. *Casmannus in ψυχολ. part. 2. p. m. 61.* hæc conversionis hujus media adducit, nempè recitari ordine certa verba, vel hominem sese baltheo quodam circumcingere, & paulò post animam è suo evolare habitaculo. Quæ omnia solâ tantum re-

censio-

censione ἀδυναμίαν hujns transmutationis evincunt. Hûc referimus Magos Ægyptios, qui præstigiis diabolicis baculos in serpentes mutarunt Exod. 7. quæ immutatio non fuit vera & miraculosa, sed omni procul dubio magica & præstigiatoria. *Vide pnevmat. Plur. Rev. & Excel. Dn. D. Scharffii, l. 3. q. 4. pag. 185.* His accensenda nocturna comitia, quæ peraguntin monte Bructerorum (Blocksberg) ubi sagæ & veneficæ fatentur, animas earum â corpore abreptas commessationibus ac tripudiis indulgere, ubi statim absurditas conspicitur, dum animæ, quæ est spiritualis naturæ, istius modi actiones adscribuntur, quas non nisi conjuncta cum corpore exercere valet. His annumerandum, quando ex foraminibus parietum, ex bacnlis aliisque rebus siccissimis lac emulgent magæ.

Magia Effectoria.

§. 4.

Tertiam magia effectoria absolvit classem, estq; admirandorum operum realium auxilio diaboli productio. Mirari hîc necessum habemus supremi Numinis longanimitatem, quod non solùm permittat Diabolo præstigiis suis homines fallere, verum etiam reales quosdam effectus sistere, vel per se ipsum, vel per suos ministros & asseclas. Respectu personarum, circa quas tendunt Dæmoniacæ hæ operationes, potest dispesci in *utilem* & *perniciosam*. Est autem utilis in eo potissimum sita, ut ab hominibus, quibus tavent, abigant mala, curent vulnera, morbos, ad quæ præstanda certis utuntur mediis venefici & magi, quandoq: verbis, versibus & sententiis, e. g. ad morsum canis rabidi hæc pronunciant verba. *Hax, Pax, Max Deus Adimax*, quandoq; figuris geometricis, numeris aliisq; incantationibus. Huc pertinet, quando pronunciatis certis verbis, seras reserare valent, quod sæpius fieri asolet, & non ita pridem hîc Wittebergæ â malefico quodam factitatum fuit. Ita Diabolus fascinat & præstringit humanas men-

mentes, ut vim istam inhærere rebus istis firmissimè sibi persuasum habeant, earumq; applicationem omnium subsequentium effectuum causam esse. *Noxia & perniciosa* in illo consistit, ut perdant fruges, excitent ventorum horrenda murmura, damnum inferant hominibus pariter atq; pecoribus, nihilque eorum intermittant, quæ ad detrimentum aliquod vergere possunt. Sic in Islandia maxima ferè hominum pars commercia & pacta cum Diabolo init, & ferè quotidiè magicas incantationes exercet, ita ut iis, qui levissimam aliquam injuriam illis intulerunt, gravissimum damnum immittant, immissis vermibus per fascinationem & erucis in crura, brachia, pedes, quæ ad mortem usque vexant misellos istos homines. Et quid longinqua memoro, cur non eorum potius, quæ ante pedes sunt, mentionem injicio. Ipsæ Magæ apud nos ac veneficæ torturis subjectæ sæpius confessæ fuerunt, se non nunquam hominibus innocentissimis vehementer nocuisse suis fascinationibus, ut mens meminisse horreat horrendas illas incantationes. *Pergendum ad quæstiones.*

QUÆSTIO I.

An naturaliter hominum corpora inconspicua, & â ferri, & globulorum ictibus immunia reddi queant. N.

Diabolica res penitus est, & â viribus naturæ nullo modo præstari potest, ut aliquis suum corpus indurare, seq; hominum conspectui subducere valeat. Commercium cum dæmone ineunt, & amicam cum eo conspirationem alunt. Nonnunquam etiam accidit, ut incautis talia instillentur mentibus & inscii quidam mediis istis, ut herbis & verbis utantur, ita ut effectus, quem intenderant, subsequatur. Neque hos â commercio Diabolico in totum absolvimus. Fædus hic adest implicitum & professio tacita. Quod primum concernit de cor-

poribus inconſpicuis fieri id nullatenus poteſt. Color namque in objecto ſenſili ſemper manet, cum ſit objectum viſus proprium. Hujus quoque ſpecies viſibilis neceſſariò recipitur ab adſtante, ſi nempè medium ſit legitimum & organum rectè diſpoſitum. Diabolus Ergò vel objectum motu quodam celerrimo amovet ab adſtantium adſpectu aut oculos hominum faſcinat & præſtringit. Quod alterum attinet, novimus, naturaliter ad ictum vehementiorem diſſolutionem continui ſequi ſolere: Imò actiones humanæ impedirentur, & homo planè ineptus eſſet ad expedienda ſua negotia, ſi durum ipſi eſſet corpus: Quod ſatis ſuperque deprehendimus hiberno tempore, quando enim manus ob inclementiam aëris obriguere difficulter ſuum officium exequuntur. Diabolum potius exiſtimamus ictus illos excipere vel averruncare ab hominum corporibus. Elegantiſſimè de his ſcribit *Excell. Dn. Sperling Inſtit. Phyſ. pag. 376*, cujus cum verbis concludimus. *Diabolus ipſe comædiæ hujus autor eſt, ictus ſuſcipit, mundumq; credulum ad ſe allicit, ut corpora cum animabus in præſentiſſimam trahat perniciem.*

QUÆSTIO II.

Quid de congreſſu dæmoneum cum Magis, eorumq; generatione ſit tenendum?

HEnricus *Nicolai in tract. de magicis Actionibus*, aliique nonnulli exiſtimant, dæmones verè generare, verumque cum magis & veneficis effectum producere. Nos autem iſti ſententiæ per omnia ſubſcribere non poſſumus, certis adducti fundamentis. Congreſſum admittimus quidem verum, quem dæmon in aſſumpto corpore habet cum ſpurciſſimis iſtis vetulis, at generationem hic eſſe veram, pernegamus. Argumentum primum deſumimus *ex abſentia formalis rationis, quam alias agnoſcit generatio*. Conſiſtere autem generationem in communica-

nication forma, sole splendido splendidius est, Quomodo dæmon in congressu tali abominando communicabit formam, quæ informet corpus, cum ille ipse destituatur tali forma, Nam respectu corporis istius adsumpti sese habet non per modum formæ informantis, sed tantum assistentis. *Secundum desumimus ex absentia seminis.* Generationem à semine dependere proximè extra dubitationis aleam positum est. Ubi itaque deest semen, ibi vera generatio locum habere nequit. Quod autem dæmonibus materia generationis, nempe semen, desit, ex eo constabit, quod sint spiritus. Urgent hic, generationem absolvi per surreptum semen. Sit ita, non tamen generat dæmon, sed ille potius, à quo est emissum. Accedit, quod tale surreptum semen sit planè ineptum ad generationem, spiritus enim amittuntur, qui sunt fæcunditatis autores. dum aliò transfertur. Videntur autem obstare fætus supposititii, qui dæmonem originem & causam agnoscunt. Sed res est in salvo. Non sunt physicus aliquis effectus, non adest ibi forma quædam informans corpus. Diabolus uterum sagarum facili negotio inflare, ex sanguine & semine veneficarum corpus aliquod elaborare potest, cui postmodum ipse tanquam forma assistens, assistit, suasque operationes per istud corpus exserit. Ita diabolus nihil non tentat, quod cedere queat in humanæ gentis perniciem.



ITa est. Ei tantùm fluunt feliciter
Conamina sua cuncta, cui maxima
Cura est piè timere Numen, ut decet,
Comitesq; sunt fervens studium, amatus labor
Ordo bonus. Quæ cuncta dum consecras tuis
Studiis, AMICE & publicè monstras, opus
Pergis tuum laudabilis. Cui gratulor
Patriq; cui Natus, dies piè locans.

Quô amico affectu gratul.
deprop.

CONSTANTINUS Ziegra
SS. Th. Lic. Coll. Phil. Adj.

SIc est! Mens generosa nequit subsistere, nescit
Repere humi, nullo ponit levidensia censu:
Alta sapit, causas ipsas molimine magno
Indagat rerum, quid distent æra lupinis
Explorat, quærit, quid sit discriminis inter
Mirandos rerum effectus, & Dæmonis ἔργα.
Hoc dum conaris jam, SCHMIDI, soricis instar

Inge-

Ingenium prodis, te vilibus alta relictis
Quærere: Felici semper sic alite perge,
Et messem cernes olim lætissimam honoris

PRÆSES.

Ad
Pereximium atq; Eruditissimum
Dn. RESPONDENTEM
Amicum jugiter colendum & consalaneum suavissimum.

QVæris & inquiris Magicas sapienter in artes,
Scilicet hoc magnæ sedulitatis opus.
Hinc meritò exornat solitam vox docta cathedram,
Et doctè tanto digna labore docet.
Miramur, meritoq; novo gratamur honori:
Sic labor & virtus præmia digna ferunt.

Gratulabundus scrib.

ANDREAS Offney
Northusanus.

I*Nfamis Magices*, dum defensare laboras
Naturæ & sacris, *Dulcis Amice, Theses*,
Præside sub Docto, Congrator & auguror, inde
Perpetuæ ut mortis *nescia Fama Tibi*.

Pereximio & Præstantiss. Dn. Resp. Consalino
ac Contubernali suo percharo, vo-
tivo adjicere calamo

L. Mq. V.

GEORGIUS BOLENIUS
Nordâ-Frisius.

I*Ngenii monstras dotes & dona decora*
Dum sacra Parnassi pulpita ritè petis.
Perge ita, nec deerit quin det tibi præmia Phœbus
Perge ita, ut excelsum verberet astra caput

Ita applaudere PraEximio atq; Doctissimo Dn.
Respondenti Fautori & Affini suo
æternum colendo voluit
debuit

GEORGIUS GREEN
Holsatus.

SEdula mens nunquam novit vitare labores,
Sed semper promptâ stat vigil esse manu.
Hoc tuus, O Schmidi! docet ardentissimus ardor
Æternum gaudens accumulare decus.

Perge

Perge ita facratas venerari ritè Camœnas,
Nec deerit studiis aurea præda tuis.

L. M. Q. F.

CHRISTIANUS CRUSIUS
Crempâ Holſ. LL. Stud.

Ad præstantissimum

Dn. RESPONDENTEM
Amicum & Conſalinum honorandum.

INgenii dotes, queîs te cumulavit Apollo,
Pulpita dum ſcandis, non ſine laude refers.
Perge bonis avibus, ſpecimen ſectare frequenter
Virtutis veræ, digna brabea feres.

JOHANNES LEO Beyen-
fletha Holſatus.

MUſarum paviſſe juvat ſic nectare mentem,
Sic Sophies calcanda via eſt, ſcandendaq; ſumma
Culmina virtutis, doctæq; ad templa Minervæ.
Præmia quæ SmidI? Sunt noſſe arcana Magiæ,
Solvere fallacis tricasque dolosque cohortis.

Gratulabundus ἐχεδίαοι

GERHARDUS WICHMAN
Lubecenſis.

FINIS.